





E. 22. num. 19.

SYNOPTICA COMMENTATIO
DE

1707, 6 15
DESPONSA-
TIONE CONDITIONATA

ad
Cap. Final. X. de Condit. Appof.

QVAM
LOCO INAUGURALIS DISPUTATIONIS

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

389
DNO. LVDOVICO,
HASSIACI LANDGRAVIATUS HEREDE,
PRINCIPE HERSFELDÆ, COMITE IN CATTIMELIBOCO,
DECIA, ZIEGENHAINA, NIDDA, SCHAUMBURGO,
YSENBURGO ET BUDINGA &c. &c.

EX AUTHORITY AC DECRETO
MAGNIFICÆ, PRÆNOBILISSIMÆ ET CELEBERRIMÆ

38
FACULTATIS JURIDICÆ
IN FLORENTISSIMA ACADEMIA HASSO-GISSENA,
PRO SUPREMIS IN UTROq; JURE HO-
NORIBUS, IMMLINITATIBUS atq; PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PROCERYM ACADEMICORYM CENSVRÆ

SUBJICIT

JOHANNES ADAMUS Sinnemann/
LIPSTADIENSIS.

Die 27. April. 1707. loco & horis consuetis.

GISSÆ-HASSORUM, Excud. JOH. REINHARD. VULPTUS, Acad. Typ.



VIRIS
PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS
& CONSULTISSIMIS,
DN. JOHANNI LEONHARDO
Sinnemann/
REIPUBLICÆ LIPPIACÆ PRO-CONSULI
MERITISSIMO,
ET
DN. CONRADO LAMBERTO
Sinnemann/
REIPUBL. SYNDICO ET SCHOLARCHÆ
GRAVISSIMO,
FRATRIBUS GERMANIS, PATRUIS
ET PATRONIS SUI
LONGE HONORATISSIMIS.

SYNOPTICAM hanc *COMMENTATIONEM*,

ea, quâ par est, submissione atque
reverentiâ

offert sacraque facit

J. A. Sinnemann.



PRÆNOBILISSIMI, AMPLISSIMI, ET CONSULTISSIMI,
DOMINI AGNATI ET PATRONI,
LONGE COLENDISSIMI.

Vestris auspiciis in publicum prodit, quod in hac Academia Hasso-Giffena, longè famigeratissima, congressui inaugurali destinatum est meletema. Eo enim omnibus viribus in vigilandum esse ratus, ut vestris expectationibus, quas de me ceu tertii fratris progenie concepistis, ex asse satisfacerem, haud vero ut contra voti vestri summam, & propositi mei orbitam, ea in re quicquam à me desiderari posset, admitterem. Neque certè sine causis gravissimis. Si enim, iudicio Senecæ, beneficiorum memoria haud senescere, quin potius ampla eorum seges quotidie recoli, & æternæ memoriæ infigi debet, quid non meritorum vestrorum pondera, tum ob erogationis facilitatem, tum ob temporis longitudinem prorsus immensa, à me desiderabunt? Plusquam enim paterni affectus vestigiis à prima statim educatione, deinceps in variis Academiis, tandem verò in Illustri hoc Athenæo, in quo studiis colophonem imponere destinaui, enutritus sum liberaliter. Quæ omnia cum publico hoc testimonio, publicâque inscriptione pleno ore deprædico, in fixum gratiarum depositum submissâ mente me

simul integro vitæ curriculo tuiturum, quin & benevolentia tantæ retributionem, quam veteres magnum vitæ subsidium opinati sunt, pro virium modulo moliturum, sanctè polliceor. Ut nunc singularis gloriæ, splendorem, quam ex munerum concreditorum laudatissima & exquisitissima Administratione jam dudum vobis conciliastis præteream. Accipite ergò lato atque benigno animo, postreimum hoc Academicarum lucubrationum monumentum, meque vestro favori atque propensione paternæ, ut hæctenus, ita in posterum quoque commendatum esse concedite.

NOBILITATUM ET AMPLITUDINUM VESTRARUM

Gissæ, d. 11. April. A. MDCCVII.

*devotus & obsequiosissimus
adorator*

J. A. Sinnemann.





PROOEMIUM.

SIve argumenti pondus, siue gravem interpretum conflictum, siue denique investigationis utilitatem intuearis, Decretalis epistola in Capit. Final. X. de Condition. appos. singularem meretur discussionem. Non sine ratione hinc factum, ut in ejusdem summario, notabilis & multum allegabilis nuncupata fuerit. Ansa inde suborta, ut jussu eorum, quibus ex lege tum necessitatis, tum officii me obstructissimum agnosco, dialysin decantati hujus loci susciperem, & congressui inaugurali manciparem. Lucubrationis telam & propositi ambitum, abundantia gratiae divinae, quam pleno ore exopto, desideratis confirmabit suffragiis.



DISPECTIO I.

Protheoriam exhibens.

§. I.

Contextus rubricæ, quem titulus ei subiectus representat, ita habet.

*De Conditionibus apposis in Desponsatione
vel aliis Contractibus.*

Bipartitam esse rubricam, vel ipsa verba satis declarant. Una enim pars conditiones in *desponsatione* apponi consuetas, altera vero tales, quæ in *contractibus* usuveniunt, concernit. *Illius* vestigia in nigro occurrunt, *hujus* nulla. Dubio procul Compileri Decretalium sufficere visum fuit, subiectæ duntaxat materiæ inservire, & modum sponsalia nonnunquam etiam sub conditione contrahendi,

hendi, ostendere. Latius autem evagari & ad contractus quoque decurrere, propositum haud fuit, satis esse judicans, si vel digito saltem monstraverit, in *contractibus* quoque adjectionem conditionum non esse infrequentem. Unde Honorius ab Axel. *Compend. ad Decret. in fine hujus Articuli*, non impertinenter monuit, *secundam ejus partem* esse remissivam, dum in Institutionibus Imperialibus §. 4. & 6. de V. O. & §. 11. de inutil. stipul. de ea tractari asseruit.

§. II.

Videtur autem rubrica cum Decretali nostra pugnare, dum *illa* agit de conditionibus, quæ in desponsatione apponuntur. *Hæc* verò eas proponat, quæ in ipso matrimonio, vel contractu matrimoniali adjici solent. Glossa hujus dubii nullam fecit mentionem, sed saltem in genere commemorari condiciones in desponsatione, nec non contractu matrimoniali adjici posse. *Prius* tetigit in rubrica, *posterius* in Decretali nostra. Ansam dedit hinc conspectus tum rubricæ, tum hujus textus inquirendi: *An perinde ut in desponsatione, ita etiam in matrimonio conditionis adjectio fieri possit?* Quibus ex rationibus in negativam descendant sententiam Covarruvias, Cujacius, Gentilis & Cypræus videre est apud Ungepaur. *Comment. ad Decretat. hoc t. num. 12.* Ipse vero cum Accursio affirmativæ potius subscribit eamque juxta effectum Brusseii crebrius esse receptam asserit.

§. III.

Sane si verba textus nostri inspiciantur, videntur

ea innuere, conditiones etiam ipsi matrimonio, si hoc in nativa significatione sumatur, apponi posse. Ast verò, quia inibi agitur de conditionibus vel annullationibus, si substantiam matrimonii offendant, vel rejciendis, si aliam turpitudinem aut impossibilitatem secum trahant, nihil inde adminiculi ad decisionem questionis peti posse, apparet.

§. IV.

Problematis nervus in eo potius sese conspicuum reddit; *An natura matrimonii, sive contractus matrimonialis ferat, ut conditio suspensiva ei adjiciatur, & si forte talis adjectio fiat, aequalem sortiri soleat effectum?* Pone Titium Semproniam promisisse matrimonium, si pater ejus suum præstaret assensum: *An convenienter dici poterit, conditionem hanc ipsi matrimonio esse adjectam illiusq. indolem pari ut tamdiu sit in suspensio usq. dum constare possit, an pater consensurus sit, nec ne?* Et quod Titius ad matrimonium contrahendum non sit cogendus, nisi voluntas patris intercedat, apertissime disposuit Pontifex in cap. s. X. h. tit. evidenti utriusque indicio, quod cum talis conditio matrimonium demum contrahendum respiciat, tantum absit, ut recte dici possit, ipsi matrimonio ejusmodi conditionem adjicere licere. Neque enim affectio illa conjugalis individuum vitæ consuetudinem implicans, in qua substantia matrimonii consistit cum incertitudine illa, conditionem suspensivam concomitante, compatibilis esse potest. Imò nil adeo huic affectioni contrariatur, quam à dubio prorsus eventu dependere, & hoc modo quasi spei matrimonium contrahi.



arg. l. 8. de contrah. emp. l. 11. de heredit. vel action. vend.

§. V.

Nec quicquam moratur, quod Papinianus in l. 68. de jur. dot. his verbis scripsit: *Dotis promissio non ideò minus valebit, quod ignorante patre nuptia facta fuerint, si postea consentiat, cum omnis dotis promissio futuri matrimonii conditionem accipiat.* Recte enim Barnabas Brissonus lib. singulari de jure connubiorum pag. mihi 229. verba istius legis ita accipienda esse judicat, ut ex die accommodati demum consensus nuptiæ sint, exindeque dos peti possit. Quæ interpretatio ex ipsa ratione in textu commemorata non obscure corroboratur, dum dicitur dotis promissionem futurum matrimonium respicere. Equidem conditione existente obligationem ad tempus contractus retrotrahi, explorati juris est, l. 11. §. 1. qui potior in pign. Ast verò hoc locum invenit in personis à quorum nutu & potestate sponsalia inire, iisque conditiones adjicere dependet, eo quoque effectu, ut conditionata sponsalia impleta conditione maneat, tempore priora & posterioribus puris præferantur, Hieronymus Bruckner decision. jur. matrimon. cap. 4. n. 18. Haud verò spectat ad liberos patris potestati subjectos, consensus siquidem paternus ad formam matrimonii pertinet, Princ. Inst. de Nupt. eoque omisso totus actus vitiatur, & nuptiæ contractæ pro nullis habentur. Kitzel synop. matrimon. cap. 4. thes. 2. lit. F.

§. VI.

Quod si ergo fiat, ut suspensiva conditio adjiciatur

B

tur



ciatur matrimonio, sponsalia potius, quam matrimonium inde nasci, immotè tenendum, tametsi forte consensus per verba de præsentis fuerit declaratus, hæc enim obliquanda esse, eo quod conditio æqualiter sese habeat ad esse, & non esse, rectè concludunt Interpp. Caspar Ziegler *disp. inaug. de condition. §. 14.* Petrus Müller *rr. de Annulo Pronubo. th. 19. n. 10.* Ex quibus constans elicitur brocardicum: *Matrimonio quâ tali propriam* quandam conditionem adjici non posse, adjectam verò illud in aliam speciem transformare. Add. Ziegler. *ad inst. Lancelot. lib. 2. tit. 12. §. 3.* Ubi more suo solidè concludit, matrimonii naturam non pati, ut conjunctionem maris & foemine de præsentis, & talem quidem, quæ individuum vitæ consuetudinem continet, ponamus, & nihilominus in futurum & incertum eventum suspensam dicamus.

§ VII.

Illam cæteroquin rationem, quæ pro arcenda à matrimonio conditione suspensiva à multis afferri solet, quasi actus legitimi non recipiant conditionem *l. 77. de R. I.* minus congruere quilibet deprehendit, qui paulò exactius naturam horum actuum penetraverit, quæ de re legi meretur Franciscus Hottomannus *quest. illustr. 32.* Unde etiam à censu eorum eliminat matrimonium Wissenbach *comment. ad R. I. ad dict. l. 77.* Frustraneus hinc est Alexander Carerius, dum existimat, esse quosdam actus legitimos, qui recipiant conditionem, idque aperte probari exemplo emtionis, locationis, societatis, mandati atque stipulationis, hisque etiam accenseri




cenferi poffe matrimonium, *tract. de fponfalibus & matrimon. lib. 4. cap. 6. p. mihi 195.* Eadem fi quidem ratione, ut contractus ab actibus legitimis alieni funt, ita etiam matrimonium nil cum illis commune habere, analogiæ juris eft conveniens. Eftque magna differentia inter actus legitimos *fignatè* fic dictos, & actus qui juxta legis præfcriptum & normam injuri debent.

§. VIII.

Orbitam protheoriæ abfolvit confideratio infcriptionis, quam Decretalis noftra his verbis exhibet: *Gregorius Nonus*: Tribuitur huic ultima Decretalium compilatio, quæ quinque diverfas in fecuta eft. Recenfuit eas ordine Celeberrimus Dn. Strauch. *Amanitat. juris Canon. Eclog. 1. cap. 8. & 9.* Ex variis alioquin à Gregotio hoc editis constitutionibus apparet, quod eas ad certas direxerit perfonas. Exemplo effe poffunt *cap. 19. X. de officio jud. ordin. cap. 13. X. de Major. & obedient. cap. 10. X. de procur. cap. ult. X. de alien. jud. mut. cauf. fact. cap. 16. 17. & 18. de for. comp. cap. 9. de jurament. calumn. cap. 9. de dilat. & complures aliæ.* Quod verò præfentem Decretalem cum fimilibus, fine infcriptione ediderit, argumentum præbet, defuiffe confultores, ad quos eas figillatim dirigeret, ut ita sentire Cujacium referunt Strauch. *diff. tract. Eccl. 1. cap. 10. n. 1. & Ziegler Comment. ad Inf. Lancell. in præmiſſa diſſertatione de origine & incrementis juris Canonici aph. 12.*





DISPECTIO II.

Vocum evolutionem proponens.

§. I.

Potiores capituli hujus terminos indagare, ordo postulat. Occurrit inter hos primus *conjugii*, à mutuo jugo, quod quasi inter se conjuges trahunt, sic dicti, eaque de causa in conjugio viventes, dici solent *comparēs & æquales*. Cypræus *de Sponsal. cap. 5. n. 4. & 5.* Conjugii autem vox hoc loco non consummationem eam, quæ vel mediante benedictione sacerdotali, vel concubitu nuptiali fit, designat, *cap. 2. X. de convers. Conjug. Carpz. jurispr. Ecclesiast. lib. 2. def. 142.* Sed potius eo nomine *initiatum* matrimonium, ubi animi contrahentium mediante consensu coaluerunt, indigitatur *l. 30. de R. 7. l. 22. C. de nupt. & ab hoc nexu matrimoniali, seu animorum conjunctione, cardo totius negotii matrimonialis dependet, copula verò hunc consequitur, & non ad id esse, sed saltem consummationem & usum pertinet, ut bene Ziegler ad Inst. Lancell. lib. 2. tit. 11. §. 1. in fin.*

§. II.

Quod autem impræsentiarum hac ratione accipiatur, evidenter tum ex *rubrica hujus tituli*, quæ desponsationis facit mentionem, tum etiam ex *nostro textu*, in quo

quo *contractus matrimonialis* commemoratur, elucescit. *Despondere* siquidem nihil aliud est, quam filiam in matrimonium promittere, Seneca *lib. 4. de benefic.* quod à patre puellæ crebrius factum esse innuit Cypræus *dict. c. 3. n. 15.* Promiscuè tamen tum in adolescente, tum in puellæ patre, tum etiam patre & matre usurpari, comprobatur Francisc. Hottom. *de spons. p. mihi 350.* Cujus consequens est, magnam esse differentiam, inter *desponsatam* & *ductam* seu *acceptam*. Cum *illius* nomine veniat, quæ datâ fide conjugali alteri addicta fuit. *Hæc* vero, quam quis individuo nexu ad plenum conjugii usum sibi adiunxit. Idque cum primis testimonio sacræ scripturæ probatur, præcipue verò ex Deuternom. *cap. 20. vers. 7.* ubi ita legitur: *qui uxorem sibi despondit, quam non accepit, revertatur domum, ne alius quisquam eam accipiat.* Nec aliud in jure civili cautum legitur: Ulpianus enim inter *despondere* & *ducere* apertum facit discrimen in *l. 32. §. ult. de donat. int. vir. & uxor.* dum ait: *Si Senator libertinam desponderit, vel tutor pupillam, vel quis alius ex his, qui matrimonium copulare prohibentur, & duxerit &c.*

§. III.

Porro *contractum matrimonialem*, in præsentî *cap. ult.* itidem *iniriatum consensu matrimonium* solummodo denotare; vel exinde evidens redditur, quod Pontifex decernat, *matrimoniale contractum*, quantumvis favorabilem, carere effectu. Eo ipso enim, quò matrimonium effectu destitui dicitur, satis superque indicatur, illud solâ affectione maritali, haud vero thori conjugalis

lis ingressu firmatum fuisse. Negari alias nequit, quod terminus *contrahere* in hoc etiam argumento nunquam latius, & pro actu consumationis postremo accipiat, uti apparet ex *l. 4. & authen. incestus C. de incest. & inut. nupt.* Attamen quò minus in præfenti specie laxamentum illud locum inveniatur, scopus & intentio Decretalis hujus nullatenus admittit.

§. IV.

Degenerat ergò hoc loco matrimonium à consuetudine sua natura atque definitione, quæ in jure tum Civili §. 1. *Inst. de patria potest.* tum Canonico in *Can. 1. caus. 29. quest. 1. cap. 11. X. de presumpt.* occurrit, plenius verò eam expressit Basilius Monner. *tract. de matrimonio cap. 1. n. 15.* Aliud descriptionis simulacrum exhibuit Franciscus Hoffmannus *de Rit. nupt. cap. 1.* quod sit conventio inter virum & uxorem de perpetua vitæ societate incundâ. Hancque à nuptiis ita differre ibi subjungit, quod hæc in celebratione matrimonii, quæ pro certo ritu variisque civitatis cujusque legibus instituuntur, consistant *l. penult. princip. & §. 1. de donat. int. vir. & uxor. l. 27. cod. l. 13. C. de nupt.*

§. V

Non tamen inde inferre licet, matrimonium proprie sic dictum contractum constituere, cum in eo non de rebus in commercio existentibus, neque sola ejusdem placiti, conjunctione, sed & animorum mutua combinatione agatur, & propterea matrimonium reliquos contractus quasi transcendere & supergredi appositè scripsit

psit Ziegler *ad Inst. Lancell. lib. 2. cap. 10. §. 2. & latius executus est Hahn ad Wesenb. t. desponsal. num. 1.*

§. VI.

Suapte hinc patet sponte, matrimonium in latiori hoc significatu, aliud nihil, quam sponsalia innuere, & proinde, quod jure Civili sub nomine matrimonii consensu initi indigitatur *l. 30. de nupt.* secundum placita juris Canonici, sponsalia de præsenti appellari, uti doctè monet Hahn. *ad Wesenb. tit. de rit. nupt. n. 2.* ita ut matrimonium per ejusmodi sponsalia primum consummationis gradum nanciscatur: Ziegler *ad Inst. Lancell. lib. 2. tit. 9. in fin.* Quà ratione alioquin sponsalia de præsenti contrahantur, quomodo à sponsalibus de futuro differant, & an eorum discrimen à verbis contrahentium, uti late ea indagavit & persecutus est Fride-ricus Martinus *in singularibus juris, annexis tractatui de Censibus pag. mihi 231. & seqq.* An vero aliunde peti debeat, hoc loco inquirere instituti nostri ratio non patitur, cum primis cum indagini huic jam alii vacaverint, & nominatim Cypræus *de sponsal. cap. 4. §. 4. & seqq.* Carpzov. *jurisprud. Eccles. lib. 2. tit. 2. def. 17. & 18.* Eckolt. *ad ff. cod. tit. de spons. §. 2.*

§. VII.

Illud magis è re est nosse, an sponsalia de præsenti cum matrimonio coincidant, seu inducant consensum conjugalem, adè ut sponsa de præsenti nondum cognita domumve traducta, pro legitima uxore haberi debeat? Quod sponsalia de futuro à matrimonio longo cœlo differant, per



per omnia causarum genera deduxit Befold. *conf. 237. n. 67. part. 5.* Ast quaestionem circa sponsalia de praesenti intricatam & adeo controversam esse, ut Imperatoriâ decisione & pragmaticâ sanctione indigeat, pronuncia- vit Mynsing. *cent. 6. obs. 78.* Nonnulla etiam hac de re tradidit Greven. *ad Gail. lib. 2. obs. 8.* ubi affirmantium & negantium partes retulit, ipse tamen nihil certi hac de restatuit. Sane quod ejusmodi sponsalia nondum sunt nuptiæ, nemo inficias ire poterit, cum inter promissionem & promissi exhibitionem magna intercedat differentia Ziegler *ad Inst. Lancell. lib. 2. tit. 10. §. 1. in fin.* Befold. *dict. loc. num. 27.* multisque etiam realibus effectibus hæc duo se jungantur, uti eos pluribus expressit Hieronymus Bruckner *decis. jur. matrimon. cap. 1. num. 39. & mult. seqq.*

§. VIII.

Nec officit, quod consensus de praesenti utrinque declaratus animorum conjunctionem, tanquam partem matrimonii substantialem secum trahat; Hoc enim verum est ratione *vinculi sive obligationis*, cujus virtute pars refractaria ad consummandum matrimonium cogi potest, Brückner *d. l. num. 40.* haud verò ratione *complementi*, utpote quod in matrimonio perinde ut traditio in emptione, venditione post consensum insequi debet, ea- que de causa matrimonium tali modo contractum est saltem *initiatum*, nondum verò *consummatum*, seu dictum §. 1. *add. Befold. dict. loc. num. 32.* Hinc etiam fit quod pluribus ex causis ejusmodi sponsalia retractari possint, quàm matrimonium, utpote quod non nisi ob adul-

adulterium & malitiosam defertionem rescindi potest. Idque vel maximè patet ex proclamatione publica, quæ juxta observantiam totius orbis Christiani fieri solet, quippe per quam auditoribus injungitur, causas conjugii confirmandi impeditivas, si quas forte sciant, tempestivè indicare, postea verò seu post consensum thori rejicere, ne bene concordantia matrimonia turbentur, uti hanc differentiam etiam observavit Besold *dict. loc. n. 29.* Faciunt huc ea, quæ circa sponsalia facilius dissolvenda, quàm matrimonium doctè & pertinenter expressit Mevius *part. 5. decis. 225. 226. 227.* Aliam huic differentia stabilendæ substernit etiam rationem Eckolt. *loc. antea citato.* quod per dispensationem superioris sponsus sponsæ defunctæ sororem vel matrem ducere possit uxorem, quod non liceret, si sponsalia verum essent matrimonium. *Add. Mevius part. 8. decis. 278. num. 9.*

S. IX.

Satius itaque circa hoc instituitur quæstio: *An quoad effectus juris sponsalia de presenti loco nuptiarum haberi possint?* Notum quidem, nullis existentibus cognatis & agnatis, uxorem & maritum de jure communi sibi invicem succedere *l. unica princ. Unde vir. & uxor.* Ast verò ut sponsus sponsæ & vice versâ sponsa sponso succedat, eaque de causâ ad bonorum possessionem *unde vir. & uxor.* admittatur, communiter per dictum textum negari solet, teste Besoldo *Cons. 237. n. 22. part. 5. fungatur Eckolt ad ff. rit. de sponsal. §. 2.* Ad eò ut idem locum invenire tradant interpretes, si sponsa à sponso

impregnata, & ante copulam sacerdotalem defuncta fuerit, ne meliori conditione habeantur, qui contra ecclesiastica decreta peccant, quam qui iis parent, uti hanc rationem allegat Bruckner *d. l. n. 56.* Excipiunt tamen liberos ex tali præmaturo concubitu natos, qui tantisper pro legitimis habeantur, nec paternam sive maternam successione defraudari debeant Bruckner *cod. loc. n. 57.* Richter *part. 3. decis. 133. per tot.*

§. X.

Ulterius quamvis multis sit persuasum quod provisio statuti vel pacti cujus virtute conjux superstes lucrum dotis, vel saltem honorum partem lucrari debeat, etiam ad sponfos sponsasve pertineat Gail. *lib. 2. obs. 50.* Berlich. *part. 3. conclus. 25. n. 1. & seqq.* Cothman *Consil. 78. per tot. vol. 2.* Alii tamen hanc opinionem neque cum theoria neque tritura forensi convenire satius judicant, eò quod jura expresse de maritalis loquantur, ac statuti ac pacti verba in propria significatione sensive nato accipi debeant, juxta quem inter conjuges & sponfos magna sit diversitas, ut ita sentit Mevius *ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. artic. 12. n. 265.* Quocirca generalem & totius Orbis consuetudinem esse, quod nec dotem, neque aliud quicquam lucrentur conjuges, si matrimonium non fuerit concubitu consummatum, asseverat Besold. *dict. conf. 237. n. 23. part. 5.*

§. XI.

Arridet quoque multis hæc sententia, beneficium *Authentica præterea. C. unde Vir. & Uxor.* non minus ad spon-

fam de præfenti rectè accommodari, eamqua ea in parte instar uxoris reputari *arg. l. 4. de fund. dotal. l. 5. C. de de bon. qua lib.* At vero & hîc malumus potius cum verbis legis loqui, quam ad extensivam interpretationem descendere, cum primis cum verba *Novell. 53. cap. 6. & Nov. 117. cap. 5.* ejusmodi interpretationi haud convenient, ut bene & solidè docuit Andreas Kohl. *de succes. conjug. part. poster. n. 7. & seqq.* Ubi dubia quoque resolvit. *Add. Richter ad dict. Auth. n. 8. & seqq.*

§. XII.

Decisio ergo quaestionis eò recidit, quod sponsalia de præfenti loco nuptiarum quo ad juris effectum haud quaquam habeantur, sive sermo sit de percipiendo lucro, de quo præcedentia agunt, sive etiam de pena infligenda. Quamvis enim vidua intra annum luctus nubens reddatur infamis, non tamen id locum in eâ invenit, quæ intra id tempus sponsalia de præfenti contraxit uti cum adductis sentit Besold *eod. loc. n. 24.*

§. XIII.

Excipiunt tamen interp. nonnullos casus veluti si sponsus vel sponsa post benedictionem sacerdotalem vel ipso nuptiarum die decessit, Hahn. *tit. de sponsal. n. 9. vers. contrarium* Ziegler *ad Inst. Lancelor. lib. 2. tit. 9. §. 3. in fin.* aut si sponsa jam sit deducta in domicilium mariti, quantumvis non in thalamum, aut etiam inopinato quodam casu, vel etiam magicis artibus coire impediti fuerint, & interim alter discesserit, uti de his omnibus latius disseruit Mevius *ad jus Lubec. diff. loc. n. 272.*

& mult. seqq. Tutius tamen instar exceptionis asseritur, si forte vel statuto cautum, vel pacto provisum, ut successioni etiam post sponsalia de presenti locus esse debeat, vel sponsus sponsæ, aut e converso omnia bona donaverit; Et hanc sollicitam provisionem instar cautelæ esse, omnemque controversiam avertere promptius monuit Hahn. *diēt. loc.*

§. XIV.

Pro complemento hujus problematis, divini præcepti singulariter notabilis subungi meretur commemoratio. Voluit enim sanctissimum Numen, ceu justitiæ Fons & Vindex, ut violatio puellæ purè desponsatæ capitali sive dilapidationis, supplicio, tum in violatore tum in violata puniri debeat, Deuteronom. *cap. 22. vers. 23. & 24.* Ubi Andreas Osiander Cancellarius quondam Tubingensis, conveniens addit scholium, quod subditas sceminas viris & pene famulas, lex divina voluerit esse uxores, ceu pro uxoribus haberi. Moderna tamen tempora in mitiorem partem inclinare, & corruptori desponsationis conscio, nec non corruptæ, quæ in stuprum consensit, fustigationis & relegationis pœnam dictari, non solum testatur, verum etiam hanc retinendam esse existimat Heigius *part. posterior. quest. 28. n. 28.* ubi id etiam juris civilis placitis convenire ingeminat. Cui applaudit Carpz. *Prax. Crim. part. 2. quest. 56. n. 33. & seqq.* Sane sicut Nemesis divina severâ hac coercitione inviolabilitatem vinculi sponsalitiæ dubio procul respicere & simul cohortari voluit, ut omnis impuritas à negotio illo, cujus vinculum ipsi Deo
imme-

immediatè acquiritur & quod Divini fœderis cum genere humano iniri ideam repræsentat, exulare, è contra verò puritas tum animorum tum corporum sanctè custodiri, nullâ verò maculâ conspurcari debeat, ita etiam cogitandum, an non præceptum hoc etiamnum hodie observari & applicari debeat? Quò etiam inclinât Brunnemann *ad l. 13. ad L. Jul. de adult. n. 8.* dum ait: *Quod si sequamur jus divinum meritò dicta practica à superioribus esset corrigenda.*

§. XV.

Sicut verò contractus matrimonialis sponsalia de præsentì per hæcenus tradita designat, ita suapte patet sponte, quod hæc firmissimè servanda, nulla vero ratione ferendum, ut vel mutuo consensu dissolvi possint. Quantumvis enim negotia civilia, consensu, quo firmata sunt, dissolvi rursus possint *l. 35. de R. J.* aliter tamen sese res habet in sponsalibus contrahentium, utpote quod hæc non tam à solo partium consensu, quam potius Dei autoritate, voluntate atque confirmatione dependeant *Matth. 19. cap. vers. 6.* & proinde quos Deus conjunxit, homines separare non debeant *can. 18. caus. 32. quest. 3.* Hocque argumenti genere notabiliter utitur Pontifex *in cap. 2. X. de translat. Episc.* dum infert, quod quemadmodum spirituale conjugium, quod tamen fortius sit, quàm carnale, omnipotens Deus suo iudicio reservaverit dissolvendum, ita etiam dissolutionem carnalis conjugii, quod est inter virum & uxorem, suo tantum iudicio reservaverit. Accedit quod res pessimi exempli sit, si partium arbitrio res tam magni mo-



menti supposita esset, invocatio siquidem Nominis Divini, quæ etiam in sponsalibus de præsentibus intervenire solet & debet, eluderetur, & sine intervenitu legitimarum causarum, quæ tamen solæ vinculo huic dirimendo substerni debent, laxamentum sane scandalosum fieri permetteretur, ut bene monet Carpzov. *jurispr. Consist. lib. 2. def. 173. n. 9.* Et addit *n. 5.* quod Consistoria Ecclesiastica ejusmodi sponsalia mutuo partium dissensu dissolvi prohibeant. Quod & repetit *lib. 5. respons. 108. n. 15.* Atque secundum hanc sententiam Wittebergenfes respondisse adducto præjudicio refert Cypræus *de sponsal. cap. 13. §. 11. n. 6.*

§. XVI.

Magnopere quidem refragatur, textus *in cap. 2. x. de sponsal.* quem nonnullos de sponsalibus *de futuro*, alii frustra exaudire monet Cypræus *dict. loc. n. 6.* quem sequitur etiam Ziegler *ad Inst. Lancell. lib. 2. tit. 10. §. 11.* cum expressè inibi dicatur, *quod si ii, qui de matrimonio contrahendo purè & sine conditione fidem dederunt, sese admittere nolint, dissolutio sponsaliorum utique tolerari possit;* Quæ sane verba non alia, quam sponsalia de præsentibus indicare, quilibet nullo negotio deprehendit.

§. XVII.

Ad evitandam jurium collisionem, dici posset, in ea specie magnam inter personas desponsatas exaruisse inimicitiam, quæ ne forte deterius quicquam post se traheret, remissionem fidei quidem invicem tolerari, ita tamen ut autoritate publicâ & causâ cognitâ invicem
sepa-

rentur. Eaque subauditio non parum inde roborari videtur, quod inibi dicatur, esse prius monendos, modisque omnibus inducendos, ut præstitam fidem servarent. Aperto sane iudicio, hanc rem jam tum ad competentem Magistrum delatam fuisse, cum monitio cumprimis in causa tam ardua, ad partes magistratus & quidem ad singularem effectum inducendum spectare soleat, uti apparet ex *cap. 45. X. de sentent. excomm. cap. 6. X. de cohab. Cleric.* An. verò alias ob abhorrentiam & metum tragici exitus, si coactio subsequatur, ad instantiam unius partis, sponsalia de presenti cumprimis jurata dirimi valeant? eleganti Responso investigarunt & deciderunt Tubingenses, quod retulit Dn. Strenus inter casus illustres Norinbergæ non ita pridem editos *cas. 38.*

§. XIIX.

Occurrit etiam in *textu nostro* terminus *Conditionis*, de cuius origine, definitione ac divisione, cum ubi vis fere egerint Interpretes, nominatim verò Uingepaur. *ad hunc tit. n. 3. & mult. seqq.* Ziegler *integrâ diss. de Conditionibus pena ann. 1655. habitâ.* Anton. Merenda *lib. 2. controvers. cap. 23.* actum agere nolumus; Illud quasi in transcurso notamus, quod conditio non tam præcise ex figura verborum, quam potius ex eorum vi ac potestate æstimari & discerni debeat. *l. 19. princ. l. 191. princ. de cond. & demonstr.* Unde fit ut conditionis denominatione, modi significationem non raro importet, veluti si testator dixit, ut hoc vel illud fieri debeat: Anton Faber *ad Cod. lib. 6. tit. 25. def. 5. n. 1.* Differentiam tamen

tamen *modi & conditionis* minus in ultimis voluntatibus, quàm contractibus observari, innuunt', Carpz. *jurispr. forens. part. 3, const. 13. def. 26. n. 4. & 5.* Cravetta *Conf. 50. n. 4.*

§. XIX.

Porro tenendum, conditionis eam esse naturam, imò primarium requisitum, ut semper conferatur in tempus futurum *l. 39. de reb. cred. l. 69. de hered. inst. Ziegler ad Inst. Lancell. lib. 1. tit. 27. §. 17.* Quæ de causa si in tempus præteritum vel præsens referatur, vim differendi non habet *l. 37. de reb. cred.* sed aut statim perimit obligationem aut omninò non differt *l. 100. de V. O. Calalis Manentus conf. 23. n. 31. Cacheran. decis. Pedemont. 136. n. 9. Ungepaar. dict. loc. n. 5.* aded ut si conditio talis vera sit, per rerum naturam non moretur obligationem, licet apud nos incerta sit, §. 6. *Inst. de V. O. Francisc. Duaren. ad dict. l. 109.* Aliud quidem ea in parte visum est Antonio Merendæ cit *lib. 2. cap. 24.* Verum quò minus à veris legum fontibus abeamus, nihil est, quod movere possit.

§. XX.

Nec hoc præteriri meretur, conditionem impleri debere in forma specifica, seu eo modo, quo testator voluit *l. 55. de cond. & demonstr.* Unde an *relictum alicui legatum, si contraxerit matrimonium, illud debeatur, si in vita testatoris fuerit contractum,* in dubium vocari solet: Legatarium talem repulsam tulisse, & tum demum, cum secundâ vice nuptias contraheret, admissum fuisse refert

refert Sande lib. 4. decis. Frisc. tit. 6. def. 3. Ast non si-
 neratione ab eo dissentit Brunnemann. ad l. 2. de condit.
 Et demonstr. motus textu expresso in l. 10. princ. eod. ubi
 dicitur, *filiam si post testamentum nupsit, conditioni satis-*
fecisse, quia ejus sit natura, ut semel impleri debeat. Sa-
 nec enim negari nequit, testatoris mentem fuisse, ut fili-
 am relicto ejusmodi legato ad nubendum magis invita-
 ret, cui satisfactum censetur, si quocunque tempore et-
 iam in vita ipsius conditioni satisfecit. Eum vero even-
 tum, ut mortuo vicissim marito legati compos fieri de-
 beret, si vicissim nuberet, tantum abest, ut respexisse
 dici possit, cum dissolutio matrimonii, ut voto contra-
 bentium, ita & testatoris adverteretur, & eventus sinistri
 non soleant esse in consideratione l. 28. §. 5. de V. O. Econ-
 tra vero favores sunt ampliandi, cap. 15. de R. I. in 6to. eo-
 que facienda interpretatio, ut favor extendatur. cap.
 61. eod.

DISPECTIO III.

Exegesi capituli representans.

Nervus nostra Decretalis notabili quâdam partitione
 proponitur. Distinguitur enim utrum *conditio-*
nes contra substantiam matrimonii adjiciantur, an verò
zales, qua ceteroquin turpes sint aut impossibiles. Mem-
 brorum horum oppositio primâ fronte minus congrue-

D re



re videbatur, ac quod negari haud possit, maximâ turpitudinis notâ laborare conditiones, quæ cum matrimonii substantia pugnant, veluti ut desponsata sese adulterandam præbere debeat, cum adulterium vel ipsâ natura dictante pro ingenti probro reputetur *l. 42. de V. S. Menoch. de arbitr. judic. quest. lib. 2. cap. 49. n. 2.* in tantum, ut etiam pater filiam in adulterio deprehensam una cum adultero occidere valeat. *l. 20. & seqq. l. 32. ad L. jul. de adult. quin & marito idem permillum, si adulter vilioris conditionis fuerit, & probrosè vixerit l. 24. eod.* Si vero uxorem interfecit, hactenus ei parcatur, ut non ordinariæ verum extraordinariæ pœnæ subjiciatur, per textus expressos in *l. 38. §. 8. dict. tit. l. 1. §. ult. ad L. Cornel. de sicar.* cum veniam mereatur, qui justâ causâ ad iracundiam commotus deliquit, *l. 2. C. de abolit. Carpzov. decis. 95. n. 12. & 13.* Eamque ob causam licet maritus uxorem adulteram jugulans, peccato se commaculet, ut traditur in *can. 6. caus. 33. quest. 2.* tamen ob gravitatem injuriæ mitius cum eo agi solet, cum primis cum difficile sit animi motum compescere *arg. l. 48. de R. 7. ubi Willenbach n. 3.*

§. II.

Verum enim verò de turpibus conditionibus hoc loco non tam in abstracto, quam potius in concreto, seu pro diverso considerandi modo agi, vel ipse contextus evidenter arguit. Intentio siquidem fuit, conditionem intrinsecè turpem, cum ea, quæ extrinsecè talis est, haudquaquam miscere, quin potius illam ab hac notanter separare. In se quidem conditio ad adulterinum con-

cu-

cubitum directa, insignem turpitudinem implicat, attramen ratione effectus inter hanc, & aliam turpem conditionem, ingens intercedere discrimen, Pontifex ostendere voluit. Cum turpitudinis sint gradus, & ea, quæ de se & sui natura mala sunt & prohibita, in totum quidem excusare non soleant *can. 13. caus. 32. quest. 7.* attramen pro ratione circumstantiarum aliter puniantur, Carpov. *prax. crimin. part. 1. quest. 45. n. 76.* eò magis, quò ignotum haud sit, quod eadem res, ut hoc loco turpitudò, diversos imò etiam contrarios effectus operari possit. *l. 15. §. 6. de damno infect.*

§. III.

Prus ergò membrum hoc suppeditat porissima; quod conditiones, quæ contra matrimonii substantiam adjiuntur, contractum matrimonialem impediunt & vitent, non attento, quod magnus alioquin favor in toto desponsationis negotio habeatur. Ætiologia haud difficulter inde colligitur, quod sine conjugali consensu nullum matrimonium iniri, & subsistere possit. At verò talem utique deficere est necesse, quando conditio substantiæ ejusdem contraria apponitur, quippe cum hæc animos contrahentium coalescere, vel minimè patiatur, Covarruy. *tom. 1. de matrimon. part. 2. cap. 3. §. 2. n. 9.* Ziegler. *ad Inst. Lancell. lib. 2. tit. 10. §. 9.* Tribus autem modis substantia labefactatur, (1) si fidei, (2) si proli susceptiõni, (3) si vinculi individuitati conditio adjecta adversatur, uti exempla hîc proposita commonstrant, eaque hac ratione distinguit Ambrosius le Gaultre *Synops. decretal. ad sis. de condit. apposit. vers. At omnibus.*

D 2

§. IV. Si

§. IV.

Si desponsata pro quaestu & adulterandam praeberere debeat, quin fides conjugalis penitus evanescat, omnibus satis obvium, cum nihil foedius, nihil turpius, nihilque alienius à sanctitate & natura matrimonii habeatur, ut cum Cujacio tradit Ungerpair *dict. tit. n. 15.* Accedit, quod etiam deterrima lenocinii species hoc ipso inducatur, cum quaestum corporis exercere, & plures ad libidinem inducere, nefarii sceleris speciem constituar, & crimen adulterio gravius inducat Carpzov. *pract. Criminal. part. 2. quest. 71. n. 4.*

§. V.

Verum equidem, quod sub spe lucri ad nuptias ineundas invitare liceat. *l. 71. §. 1. de cond. & demonstr.* At tamen aliud est, ita quempiam legare, ut praevia spes lucri honestam desponsationem pro fine habere debeat. Ex matrimonio siquidem honor & incrementum quaeritur. *cap. 22. X. de testib.* Et proinde sicut legumlatores de matrimoniis ineundis, tanquam re honestissima & humano generi immortalitatem conciliante, magnam sollicitudinem habuerunt, ut apparet ex *Nov. 22. princ.* ita merito quoque laudandi sunt, qui partem etiam patrimonii eò impendunt, ut liberali ejus elargitione, studium & inclinationem illud amplectendi multis concilient & persuadeant. Arnisaus *de jur. connub. cap. 1. sect. 2.* Aliud verò ipsos paciscentes ita contrahere, ut sanctum conjugii foedus in quaestuosam luxuriam degenerare, seu, lucrum ex impiis congressibus quaeri debeat, quod totam matrimonii essentiam tollit, tamen si forte obtentus paupertatis illius sceleris magnitudinem obnubilare velit, neque

que enim quasi egestate coacta turpissimam vitam eligens, excusationem meretur, quin potius ei prorsus ignoscendum non esse inculcat Ulpianus *in l. 43. §. 5. de his. nupt.* Barnabas Brissonius *de Ver. nupt. pag. mihi 150.*

VI.

Angeli quidam opinio est, conditionem matrimoniali contractui adjectam, *si te adulterandam tradideris*, non esse contra substantiam matrimonii, nisi ita adjiciatur, ut mihi non tenearis reddere debitum conjugale. Att recte reprehenditur ab Alexandro Carerio *tract. de sponsas. & Matrim. lib. 4. cap. 5. vers. prospereca.* Tum etiam quod citra talem adjectionem nihilominus vinculum conjugale deturpetur & finis matrimonii honestus impediat, tum quod hoc modo foedissimorum congressuum mixtura non saltem publicè scandalū præbeatur, & Reip. sit nociva, verum etiam honestissimas familias dehonestet, & ignominia afficiat.

§. VII.

Porrò si contrahatur matrimonium, ut *prolis generatio evitetur*, nihil effici in proparulo est, cum nullum alium in finem Sanctissimus DEus illud instituerit, quam ut liberorum procreatione genus humanum propagetur, & hoc medio innumeris cœlitibus domicilium æternæ gloriæ augeatur *Gen. cap. 1. vers. 28.* Unde conjugii præmium & gratiam nuptiarum, partum foeminarum rectè dixit Ambrosius *in can. 1. caus. 32. quest. 2.* & copulationem maris ac foeminae generis humani seminarium vocavit Augustinus *in cap. 1. caus. 35. quest. 1.* Cum quibus concordat, quod Callistratus eleganter scripsit,

ideirò uxores duci, ut per filios filiasve diuturnitatis
memoriam in ævum relinquamus *in l. 220. §. ult. de V. S.*

§. VIII.

Et tamen conditionem hanc perpetuam respicere
continentiam, negari nequit; ast verò hanc matrimo-
nium haud vitare, nonnullis est persuasum, quos allegat
Alexander Carerius *diff. loc. princ.* Respondet ipse huic
dubio, quod in *nostro textu* agatur de matrimonio *con-*
trahendo, cui hæc conditio frustra adjicitur. Ast verò
alia ratio sit *contracti*, per conjugés enim in tali castitatem
yoveri posse nil impediatur *can. 4. caus. 32. quest. 5.* Ve-
rùm posteriori quoque casu votum illud ac promissionera
tanquam de re impossibili factam profus esse irritam ac
temerariam, cumprimis si unctionibus altera pars ten-
tetur, pertinenter tradidit Ziegler *ad Inst. Lancell. lib. 2.*
tit. 16. §. 12. in fin. Idque vel maximè conveniens est ju-
ri divino; mulierem siquidem corporis sui potestatem
non habere, sed virum, & similiter virum sui corporis
potestate non gaudere, sed mulierem, Apostolus aperte
sancivit, *1. Coriuth. 7. vers. 3. & 4.*

§. IX.

Individuam vitæ consuetudinem, quæ ad matri-
monium requiritur §. 1. *Inst. de patr. potest.* denique non
pati, ut adjiciatur conditio, donec inveniam aliam honore
& facultatibus digniorem, in hoc textu indicatur. Præ-
ceptum siquidem divinum est, maritum debere patrem
& matrem relinquere, & uxori suæ adherere *Genes. cap. 2.*
vers. 24. Et severè interdicitur conjugibus, ne ab invi-



cem discedant vel sese dimittant, *1. Corinth. 7. vers. 10. & 11.* Unde Augustinus cum, qui aliquam ad tempus duntaxat sibi adhibet, adulterum appellat. *can. 6. caus. 32. quest. 2.* dubiò procul, quoniam novam uxorem quære-
re, eamque cohabitationis participem reddere satagat, quam tamen soli uxori, cum qua semet in matrimonio vi-
vit, debebat. Facit, quod nec concubinam habere li-
ceat, qualem postea quis dimittat, & uxorem ducat *can. 6. dist. 34.* adeo, ut talem concubinatum, prorsus illicitum, pronunciet Augustinus *in can. 4. ead. distinct. in fin.*

§. X.

Membrum posterius continet tale porisma; quod *condiciones turpes aut impossibiles, si matrimonio appositæ fuerint, ob favorem ejus pro non adjectis haberi debeant.* A canonica autem hac decisione protinus recedit Paulus Cypræus *tract. de sponsal. cap. 8. §. 1.* existimans, condi-
tiones naturâ impossibiles à sponsalibus omnem remove-
re consensum, perinde, ut à contractibus *l. 31. de O. & A.* cum tamen sine consensu sponsalia & matrimonia iniri
haud possint *l. 30. de R. 7.* Idque tantò magis, quòd spon-
salia veterum stipulationibus interpositis constituta fue-
rint *l. 2. de sponsal.* stipulationes autem impossibili sub
conditione contractas ipso jure irritari *§. 11. inst. de inur. stipulat.* Unde cum is, qui talem conditionem adpicit,
sciat, rem in obligationem deductam fieri non posse, non
habeat animum sese obligandi, quin potius tali adjectione
apertissimè declaret, quod conjugium magis pro deri-
dulo & delectamento habeat, potiusque ludat, quàm
seruet agat, quod cum fœdere isto arctissimo stare nequeat
Nec

❖ 32 ❖

Nec ob stare putat *rextum presentem*, agat enim non de matrimonio *contrahendo*, verum *contracto*.

§. XI.

Quo minus autem a perspicuis & manifestis capitulis *ostendi* verbis, hisce argumentis dimoveri possimus, nulli sane videmus. Etenim in desponsationibus & matrimoniis non sequimur strictam juris rationem, juxta quam non minus sponsalia, quam ceteros contractus ob ejusmodi conditiones vitari necesse foret, verum potius singularem favorem, qui per se sufficiens est, consensum sustinendi, rejectâ conditione & pro non adjectâ habitâ, ut solide concludit Ziegler *ad Inst. Lancell. lib. 2. tit. 10. §. 9.*

§. XII.

Concomitarur hunc favorem ratio non una sed multiplex. Etenim (1) matrimonium refertur inter causas arduas & magni præjudicii Manzius *special in jur. commun. Voc. arduitas præfat.* ob rei autem arduitatem receditur à regulis juris consuetis, & magnitudo causæ sæpe facit licitum, quod aliàs tale non esset. Manz. *dict. loc.* Deinde (2) cum matrimonium sit modus propagandi genus humanum summè necessarius, circa conservacionem tantò circumspectius agi debet, atque ampliari quàm aliàs sollicitudine dignum, ut graviter loquitur Imperator Justinianus *in Nov. 22. præf.*

§. XIII.

Deinceps (3) vertitur in causa matrimonii periculum animæ, Manzius *dict. tr. Voc. matrimonii favor & honor.* Tantùm ergò abest, ut cuidam illud per lusum quasi tractare,



tractare, & alteri spem matrimonii sub captioso quodam deridiculo facere, permitti valeat. Quin potius tanto magis providendum, ut temeraria hæc & subdola elusio non saltem iustas sentiat pœnas, verum etiam inpurum, serium & stabilem conjugalis vinculi nexum, legitime & debito modo prope diem consummandum transmutetur. Cum primis cum elusio adeò sit odiosa, ut semper contra eam fiat interpretatio, ne in unius vel alterius contrahentis potestate sit, ad evertendas conventiones eam adhibere & hoc modo ex malitia sua lucrum captare *l. 83. §. 1. de V. O. l. 8. §. 20. de transact. l. 5. §. 5. de rebus eorum, qui &c.*

§. XIV.

Facit huc (4.) quod etiam matrimonialis societas conjunctionis Christi & Ecclesiæ inseparabilis mysterium in se continere, sacra pagina luculenter indicet, ut bene adducit & probat Kitzel. *synops. matrim. cap. theorem. 1. in fin.* Accedit denique (5.) quod qui non ignorat conditionem turpem aut impossibilem à jure rejici, & manere contractum purum, & tamen sub turpi aut impossibili conditione matrimonium contrahit, is videatur purè contraxisse, purumque iniisse matrimonium: Didacus Covarruvias *de matrimonio part. 2. cap. 3. §. 2. n. 1.* Responsio autem Cypræi ad nostrum textum, quasi loquatur de matrimonio jam contracto, vel ex ejusdem analysi convellitur, uti apparet ex iis, quæ tradita sunt, *Dispeñt. 2. §. 2. 3. & 4.*

§. XV.

Iisdem ex rationibus nil tribuendum Cypræi sententiæ,

tentiæ, quando *dict. §. 6. num. 5.* idem esse jus statuit in
 conditione de jure impossibili, veluti si quis promittat
 conjugium, si in templo rem divinam feceris, si habueris
 concionem. Quamvis enim illi actus mulieribus inter-
 dicti sint, tamen omnem impossibilitatem favore ma-
 trimonii, tolli, & in puram promissionem resolvi, mo-
 dò comprobatum. Et cum ipse Cypræus *cod. cap. 8. §. 8.*
 asserat & admittat, turpes conditiones, quæ non sint
 contra substantiam matrimonii ratis manentibus spon-
 salibus rejici, & pro non adjectis haberi, cur non idem
 in conditionibus sive naturâ sive jure impossibilibus lo-
 cum invenire concedit? cum tamen turpes etiam de ju-
 re sint impossibiles, quæ verò natura tales sunt, cum tur-
 pibus *effectivè* conveniant, eò quod neutriæ impleri va-
 leant: *l. 15. de cond. instit. Ziegler ad Inst. Lancell. lib. 3. tit.*
3. §. 4. in fin.

§. XVI.

Nullum etiam applausum meretur opinio Alex-
 andri Carerii, dum *lib. 4. de sponsal. & matrimon. cap.*
5. in fin. tradit, hanc esse inter turpem & impossibilem
 conditionem differentiam, quod illa sive de præterito
 sive de futuro fuerit, ab actu non tollatur, sed vel statim
 matrimonium valeat, vel non valeat ex conditionis even-
 tu vel defectu. Hæc verò semper sit rejicienda etiam si de
 præterito vel præsentis fuerit. Præterquàm enim, quod omnis
 conditio de sui natura tempus futurum, haud verò præ-
 teritum vel præsens respicere debeat, ceu dictum in Dis-
 pectione *3. §. 19.* cum ex præsentis vel præterito tempore
 non suspendatur actus *l. 37. de reb. cred. l. 34. §. 1. de cond.*
& demonstr. Sed aut statim infirmetur negotium, aut
 omni-

omnino non differatur §. 6. j. de v. o. l. 120. eod. ut ut rei veritas ignoretur l. 120. dict. tit. eaque de causa conditio non proprie, sed nuda verborum figura attenda, pro tali habeatur l. 69. de hered. inst. l. 10. §. 1. de cond. instit. Sane naturali non minus, quam civili juri adversatur, ut conditionis turpis eventus expectari, & eo secuto matrimonium valere, deficiente verò irritari debeat; cum moraliter impossibilia ipsa adjectione rejiciantur, & proinde cum natura impossibilibus nil operentur, sed matrimonium purum relinquunt, cap. ult. X. h. t.

§. XVII.

Dum itaque firmo stat talo, conditionis adjectionem, sive turpis sit sive impossibilis, à sponsalibus rejici, & matrimonium pro puro haberi, disquiri solet: *Quid sentiendum de conditione virginitatem respiciente?* Distinguunt nonnulli, utrumne conditio ista referatur ad *periculum copulae carnalis*, an verò ad *actum licitum*, ut illo casu pro turpi sive indecora, & per consequens, pro non adjecta haberi debeat, ita ut concubitu insecuto talia sponsalia in matrimonium transferint, quod conditionem amplius ferre nequeat, sive fuerit inventa virgo, sive non; *Hæc verò conditio* pro turpi neququam habenda, & proinde si judicio obstetricum virgo inventa non fuerit, matrimonium non sit perficiendum, uti hanc sententiam amplectitur quoque Ziegler *diff. de condit. aph. 79.* Nos posteriori asserto uti non simpliciter subscribimus, ita nec omnem validitatem denegamus, possunt enim tanta concurrere signa, quæ efficiant, ut tale matrimonium cessante conditione, non sit adimplendum, de quibus sigillatim egit Cypræus *dict. cap. 8. §. 9. num. 2.*

§. XVIII.

§. XVIII.

Quando porrò contingit, ut conditio si certam pecunia summam intuleris, adjiciatur, an & hæc pro turpi haberi debeat? anceps quæstio est. Affirmandum videbatur, quoniam impium est, amorem lucri cupiditate æstimari, cum potius in animo consistere & in subjectum virtute ditatum ferri debeat *l. 3. princ. de donat. int. vir. & uxor.* At verò magis est, ut pro turpi & bonis moribus contraria haberi non debeat, ita ut quamvis consensus de præsentis sit præstitus, tamen non aliter valeat matrimonium, quam si conditio illa inpleta fuerit, cum lucrum in matrimonio intendere, sit de genere permissorum, Alexander Carerius *de spons. & matrim. lib. 4. cap. 6. vers. sed quid si consensus.* Cavarruvias *de matrim. tom. 1. part. 2. cap. 3. §. 3. n. 1. & seqq.* Beust *de jur. Connub. cap. 18. in fin.* Ziegl. *ad Inst. Lancell. lib. 2. tit. 10. §. 8. in tantum,* ut si certa pecuniæ summa fuerit promissa, sponsa verò adversitate quadam fortunæ, ante thori ingressum, ad inopiam redigatur, sponsus à contractu sponsaliorum resilire possit, ut multis adductis probat Müller *de Ann. Pronub. tb. 22. u. 8.* Vera tamen hæc sunt, quando conditio talis expressis verbis fuit adjecta, haud verò in animo retentadum forte ad sponsum divitiæ puellæ per famam sunt delatæ, at verò in facto non deprehensæ, ropositum siquidem in mente retentum nil operatur *l. 25. C. de transact. & error fortunæ tanquam accidentalis, direptionem rei tam favorabilis haud efficere valet. Müller dict. loc. §. 12.*

§. XIX.

§. XIX.

Tacitas quod attinet conditiones eæ vim suspensionis non habent, quia ex negotii natura & juris autoritate subintelliguntur, veluti si quis dicat, ducam te, *si caste vixeris* Cypræus *de sponsal. cap. 8. §. 10.* Hahn. *ad Wesenb. tit. de sponsal. n. 3.* Potest tamen contingere, ut hæc etiam impossibilitatem implicent, quin & indecentem promissionem inducant, veluti *si pater mediante juramento filiam suam alicui desponderit*, neque tamen *ejus voluntatem prius exploraverit*, nullatenus siquidem filia exinde obligatur, si post impetratam scientiam tali promissioni contradixerit, quia jurata patris promissio tacitam habet conditionem, *si filia simul consenserit.* Müller *dict. tract. th. 23. in fin.* Ex quo illud brocardicum resultat, impossibiles conditiones ab ipsis contrahentibus adjectas pro supervacuis haberi, matrimonium verò impedire, quando facto alterius impossibiles redduntur.

§. XX.

Illud de cætero dicti porismatis confectarium recte traditur, quod si quis sub conditione impossibili vel turpi puellæ sponsalia promiserit, postea verò cum alia pure talia celebravit, nihilominus posterioribus priora præferri debeant. Eo enim ipso quo impossibilem vel turpem conditionem jura canonica rejiciunt, suapte sicut sponte matrimonium fuisse pure contractum, & proinde in potestate promittentis haud fuisse, alteri fidem conjugalem postmodum addicere *arg. cap. ult. X. h. t. l. 5.*



C. de O. & A. Si enim in casu, quò *honestà* adjectà conditione, sponsalia de futuro sunt celebrata, non licitum est, alia purè contrahere, & si defectu sint contracta, hæc illis meritò cedunt & postponuntur, eò quod conditionis eventus sit expectandus Carpzov. *jurispr. Eccl. lib. 2. tit. 2. defn. 21.* Struv. *Syntagm. jur. Civ. Exerc. 29. th. 12.* Müll. *de Ann. Pronub. tit. 20. n. 6. & seqq.* multo magis sponsalia sub conditione *inhonestà* inita, eò quod ex dispositione juris illicita illa qualitas derrahatur, eaque de causa pro puris habeantur, eum effectum habebunt, ut posterioribus purè contractis anteponanantur.



DISPECTIO IV.

Ampliationes & limitationes Decretalis epistola perstringens.

§. I.

Superest, ut singuli casus, ad quos dicta porismata vel legitime extenduntur, vel è contra applicari non possunt, breviter & nervosè excutiantur & subjiciantur. *Ampliat*ur autem *primum* porisma (i.) ut locum inveniatur, quando præter causas in hac epistola commemoratas, aliæ quoque iis similes excogitantur & adjiciantur, veluti si quis ita contrahat, *si feceris ut medicamento sterilitatis sumpto, generare non possis, aut fœtum forte conceptum hoc modo extinxeris can. 7. caus. 32. quest. 2.* Aut *si passâ*

*passa faeris, ut concubinam Titiam vel aliam simul habere
tecum liceat: Cypræus de sponsal. cap. 8. §. 8. princ. add.
eundem cap. 13. §. 1. & 2. Cum enim tales quoque condi-
tiones matrimonii substantiam offendant, eique perfici-
endo sufflamen injiciant, eundem cum cæteris effectum
habere debent, cum alibi quoque in jure ita compara-
tum sit, ut cum causis expressis, etiam similes vel gravi-
ores contineantur Nov. 115. cap. 3. & 4. adeò ut istiusmo-
di causæ ipso jure videantur inesse, haud verò dici possit,
ad eas extensionem fieri, cum extensio non dicatur de
iis, quæ verborum vi ac significatione continentur. Rich-
ter conf. 189. n. 25. vol. 2.*

§. II.

*Ampliatur (2.) licet non per viam conditionis, ve-
rùm modi, adjectio facta fuerit, modum siquidem sub-
stantiæ matrimonii contrariuus, vitare contractum
matrimonii, tradit Honorius ab Axel ad Decretal. h. r.
num. 8. Tametsi enim modus in eo à conditione differat,
quod demum negotio perfecto & consummato sit ad-
implendus, singulare tamen videtur esse in modo, cum
essentia matrimonii pugnante, eò quod talem adjiciens
non videatur habere animum contrahendi matrimoni-
um, sine quo tamen tale subsistere nequit, ut loquitur
Struv. Exerc. 29. th. 8. in fin.*

§. III.

*Ampliatur (3.) ut si contrahentes conditionem
contra substantiam matrimonii militantem, mediante
juramento sese servaturos promiserint, tamen sponsalia
effectu*

effectu destituantur, & conditio rejiciatur. Sicut enim remotis contractibus matrimonialis substantialibus, ipse contractus censetur esse remotus & irritatus *l. 1. c. de Condit. indeb.* ita etiam juramentum forte appositum nil invenire potest, cui firmando prodesse possit, cum instar accessorii sit, & præsupponat actum validum jureque subsistentem *Auth. sacramenta puerum. C. si advers. vendit.* Hahn ad Wesenbec *tit. de pact. n. 9. verb. cur jure civili.* Idque inspecto *jure Romano* nullum habet dubium per text. expressum *in l. 5. in fin. C. de legibus.* Non tamen aliud dicendum *de jure Canonico.* Quantumvis enim hoc qualitatem actus, cui apponitur, non adeo respiciat, sed magis religionis atque conscientiæ rationem habeat *cap. 2. de pact. in 6to.* tamen actus ita comparatus, ut ob adjectionem alicujus conditionis reprobata, non saltem defectum substantialem patiantur, verum præterea quoque juri naturæ ac divino adversentur, nulla ratione convalidare potest, cum juramentum, quod nutrit peccatum, sine dispendio salutis servari nequeat *cap. 28. X. de jurejur.* & rei ob concomitantem turpitudinem in contractum haud deducibilis, nulla sit jurata confirmatio *cap. 58. de R. I. in 6to. Gail. lib. 2. obs. 39.* omni siquidem juramento inest conditio honestatis *cap. 25. X. de jurej.* & nunquam vinculum iniquitatis esse debet. *cap. 18. X. eod.*

§. IV.

Ampliatur secundum porisma (4.) in conditione valde difficili, veluti si sponsa ita contrahat, si ex remotissimis terra insulis, ad qua periculosus patet aditus, tot pretiosa

pretiosa mihi attuleris, aliis qua inde apportata non sunt, prorsus remotis, ita, ut sponsus juramento obstringatur, se loca illa propediem accessurum, alia verò haud coempturum. Difficilia siquidem valde, & impossibilia æquiparantur l. 4. §. 1. de stat. lib. Mevius part. 2. decis. 224. n. 4. & part. 4. decis. 198. n. 1. & id quod multum difficile est, habetur ferè pro impossibili, Schurff. Conf. 43. n. ult. cent. 2. magnâ quippe difficultate ita comparatâ, ut non patiatur præstari id, quod promissum, aut tamen non nisi cum maximo periculo, præsertim si non sit mercator, qui tale promisit. add. Besold. Conf. 57. n. 181. part. 2. impossibilium autem nulla est obligatio l. 57. de R. 7. Posset etiam huc referri conditio, si sponsus vel sponsa alterius religionem amplectatur, hæc enim similiter pro non adjecta habeatur, si modò spes sit, ut salvâ manente religione nihilominus animi coalescere, & matrimonium iniri valeat. Quod nunc ferè difficulter fieri, experientia non rarò comprobatur. add. Brunneemann. ad l. 15. de Condit. Inst. n. 2. Struv. Ex. 33. th. 50.

§. V.

Ampliatur (5) in conditione detisoria sive inepta: Tametsi enim talis intrinsecam turpitudinem haud contineat, legis tamen dispositione in turpium conditionum censum refertur, deque earum effectu participat, ut pro non scripta habeatur, ut respondit Marcianus in l. 14. de Condit. Instit. & Modestinus in l. 27. eod. exempla vid. apud Müller in not. ad Serrvium tit. de Sponsal. th. 11. lit. d. & ad tit. de Condit. Instit. th. 49. lit. y. add. Ziegler Diss. de Condit. th. 46.

F

§. VI. Si.

§. VI.

*Ampliat*ur denique (6) in conditione honesta quidem, attamen peregrina, *veluti si quis contrahat, si Hispanus vicerit Gallum*, non attentâ liquidem tali, sponsalia purè contracta censentur Kitzel. *Synops. matrim. cap. 4. theorem. 12. lit. C. Schneidevvin. ad Inst. tit. de Nupt. part. 1. n. 36. in fin.*

§. VII.

Sicut verò nulla regula tam firma, quæ non patiat^{ur} exceptionem *l. 201. de R. 7.* ita etiam variæ horum assertorum & membrorum subjungi merentur limitationes. Et quidem porisma *primum limitatur* (1) quando unus contrahentium in conditionem cum matrimonio pugnantem non consentit, verum apertè contradixit, alter vero huic contradictioni acquievit, tum enim matrimonium non vitari, verum potius pro puro haberi, quando is, qui conditionem adjecit, consummationem fieri passus est, Interpretes comprobant, eò quod tum à conditione recessisse, eamque remississe censetur, Cavarruv. *de matrim. tom. 1. part. 2. cap. 3. §. 1. n. 11. & 12.* Kizel. *syn. matrim. cap. 4. theor. 12. lit. G.* Honor. ab Axel *ad h. t. n. 6.* licet forte ante copulam facta fuerit protestatio, quod non velit à conditione recedere Axel. *dict. loco n. 2.* cum potestatio facta verè contraria, haud quicquam relevet Cardinal. Tusch. *pract. concl. lit. P. conclus. 944.* Surdus *Conf. 371. n. 67.* Cypræus *tract. de sponsal. cap. 12. §. 12. princ.* ubi hanc oranium pene Interpretum Juris & receptam

ptam sententiam esse asseverat. Atque hoc sensu etiam admittit Buius *comment. ad Pandectas in l. ult. de sponsal. n. 9.* Wesenbecii sententiam in *not. ad Schneidevvinum tit. de nupt. n. 35.* quod matrimonio ritu Ecclesiastico & concubitu consummato, etiam conditiones cum matrimonii substantia pugnantes, exemplo ultimarum voluntatum vitentur.

§. VIII.

Limitatur (2) quantumvis pars altera non contradixerit, sed prorsus tacuerit, quia tacite videtur contradixisse in favorem matrimonii. Honor. ab Axel. *citat. loc. n. 6.* Quod tum demum admittimus, quando pars, quæ adjecit conditionem, nullam amplius hujus facit mentionem, sed simpliciter copulationi & benedictioni sacerdotali sese submittit, tum enim actu hoc *positivo* eoque *puro* mentem mutasse censetur, præprimis cum in voluntate non satis *stabilita quin & devia & minus laudabili* facilius mutatio contingere soleat, ut censuit Cephal. *Conf. 310. n. 11. & 12.* Objiciunt quidem nonnulli, quod si contrahentium unus pure, alter sub conditione consentiat, nihil actum censetur *l. 1. §. 3. de V. O.* Ast aliam rationem esse stipulationis, aliam verò sponsaliorum, exinde facile apparet, quod in illa agatur de præstatione certæ alicujus rei, in qua tamen ipsa diversitas etiam amoveri potest, si in continenti correctio facta fuit *d. l. 1. §. 3.* In sponsalibus verò agitur de communicatione corporum, quæ consensus, etiam ex post facto arguit, quando hæc infecuta fuit Buius *dict. loc. n. 9.*

§. IX.

Limitatur (3) quando conditio talis non est adjecta *suspensivè*, sed *resolutivè*, veluti, ut liceat recedere, si commiseris adulterium. Quantumvis enim utroque casu idem Juris obtinere existimet Honor ab Axel. *dict. loc. n. 5. in fin.* tamen id ipsum ex hoc supposito fieri facile apparet, quod canones adulterium, vinculi matrimonialis dissolutionem inferre, haud quaquam concedant: *can. 22. caus. 32. quest. 7.* Dum vero apud Nostrates contrarium obtinet, Ziegler *ad Inst. Lancell. lib. 2. tit. 16. §. 8. vers. si alter conjugum &c.* talis conditio rectè adjici potest Carpzov. *Jurispr. Eccles. part. 2. def. 189.* cum primis cum ea, quæ jam tum tacite insunt, speciali conventionione sæpius exprimi & adjici possint, l. 3. *C. de fidejuss. Declaratur* tamen hæc *limitatio*, quando resolutio non sit ex *causa licita*, verùm tali, quæ *ortum matrimonii impedit*, unde non valet conditio, *si dicas, ducam te, si ad exequias meas veneris*, talis enim utique matrimonium vitare solet, uti bene monet Kitzel. *Syn. matrim. cap. 4. theor. 12. lit. C. in fin.*

§. X.

Limitatur (4) quando ejusmodi conditio, non respicit futurum eventum, verùm præsens vel præteritum tempus, veluti si quis dicat, *ducam te, quando adulterium commisisti*, Kitzel. *dict. cap. 4. theor. 12. lit. E.* adde hæc de re ea, quæ notata sunt supra *disp. 2. §. 19.*

§. XI. Li-

§. XI.

Limitatur (5) quando conditio talis post matrimonium jam contractum & absolutum fuerit adjecta, tum enim licet matrimonii substantiam afficiat, illud haud quaquam vitare solet, cum ea, quae ex postfacto contingunt, ritè ac plenè consummata ac perfecta, irritare haud valeant. *l. 2. de in. act. que privat.*

§. XII.

Limitatur (6) si dicta conditio cum singulari dolo simulatione atque improbitate sit conjuncta, veluti si quis dicat, *ducam te, si copiam tui mihi feceris, sub promissione, quod postea tibi tantum honoris velim exhibere, quantumvis dedecoris tibi intuli*, tum enim si infecuto stupro stuprator vitiatam uxorem ducere nolit, eo sub pretextu, se non honorem conjugalem, verùm potius alium quemcunque, qui extra matrimonium adhiberi consuevit, intendisse & putasse nequaquam audiendus est, sed compellitur carnaliter cognitam sibi matrimonio copulare Kitzel *cit. loc. theor. 15. in fin.* cum omnis simulatio, ut vitiosa improbetur & malum finem intendere judicetur *cap. 21. de X. de prabend. & dignit. cap. 4. X. de pignor.* & deceptio tantò gravius peccatum inducat, quò sub vana matrimonii spe insidias puellæ struit, & ad eam dehonestandam unicè est directæ, rem siquidem pretiosissimam, & nullâ ante vel ratione recuperandam, hoc modo amisit, adeo, ut stuprator furtum commisisse

F 3

dicatur

dicatur *auth. novo jure C. de furt. Cypræus de sponsal. cap. 9. n. 3. & cap. 13. n. 3.*

§. XIII.

Limitatur (7) si conditio, ut adulterandam se præbeat sponsa, à sponso tum temporis facta, quò in carcere hæsit, ac in vitæ discrimine constitutus fuit, neque enim tum audiri meretur sponso, quando ob adulterium commissum velit sponsam repudiare, cui ipse anam atque ministerium præbuit. *Cypræus de sponsal. cap. 13. §. 43. Hieron. Prückn. in Decis. jur. matrim. cap. 20. n. 15.*

§. XIV.

Limitatur (8) quando conditio adjecta, ut si desponsata postmodum deprehensa fuerit annum jam tum vicessimum quantum excessisse; eam rursus deferere liceret, tum eum secutâ copulâ ab ea discedere non licet, tamen dictos annos excesserit, quilibet siquidem debet esse gnarus conditionis ejus, cum quo contrahit *l. 19. de R. 7. & proinde contrahens ante desponsationem in ætatem desponsatæ, penitus inquirere debuit: Idque ad præscriptum Ulpiani, qui in transactione quoque super alimentis discrimen ætatis accuratè observandum esse monuit in l. 8. §. 10. de transact. quod etiam in alimentis ætati infirmæ relictis attendi debere responderet Paulus in l. 122. princ. de legat. 1. Singulariter verò tempestivitatem ætatis commendare voluit Callistratus dum minores viginti quinque annis Decuriones fieri vetuit*

vetuit *l. 11. de Decurionib.* Sollicitè etiam inculcavit, ut si lex cujusque loci de immunitatibus nominatim faceret mentionem, explorari debeat, an etiam de numero annorum in ea fiat commemoratio in *l. 5. §. 1. de jur. immunit.* Nec est si dicas, puellam in dolo fuisse, dum simulavit, se nondum annum 25. attigisse, dolus autem in qualibet dispositione censeatur exceptus, *l. 60. §. 4. mandat.* eò magis, quo constat, quod matrimonium sit contractus ultrò citroque obligatorius & bonæ fidei, cum fraude & dolo haud quaquam compatibilis Basilius Monnier *de clandest. despons. cap. 3. n. 8.* Sciendum siquidem, quod alia sit ratio contractus nuptialis, cui dolus dans causam, eundem haud quaquam reddit nullum, uti multis citatis comprobatur Kitzel. *Synop. matrim. cap. 4. theor. 15. lit. C.* Et quamvis Dd. in ejusmodi causis excipiant dolum, qui prudentissimos fallere possit, ceu videre est apud Argentoratenses *conf. 48. n. 11.* tamen talem in præsentî casu haud subesse, quilibet facillè deprehendit, qui perpendit, ætatem ad talia pertinere, quæ explorari possint & debent, seu ex dictis textibus apparet. Ad hæc puella ætatem minorem simulans non tam in dolo malo, quam bono versari censeatur, cum se resque suas juvare intendens, solertiam laudabilem contineat *l. 1. §. 3. de dol. mal.* quæ prudentiæ adscribi solet *arg. l. 26. de captiv. & postlim. revers.*

§. XV.

Non tamen id eò extendendum, ac si eam, quæ se virginem simulavit, cum fuerit vitiata, retinere quisquam

quam sit obstrictus, uti dictam regulam *l. 19. de R. J.* eò etiam extendere Wesenbecium notavit ibidem Wisfenbach. *n. 4.* Tametsi enim Jure Canonico aliud cautum, errorem nempe qualitatis non excludere consensum, adeoque, qui ducit in uxorem meretricem, vel corruptam, quam putat esse castam vel Virginem, non posse eam dimittere & aliam ducere *can. unic. caus. 29. in fin. qaest. 1. cap. 25. de juri.* Rectè tamen Lancelottrum *cap. 2. tit. 12. §. 1.* idem statuentem, ibidem in notis reprehendit Zieglerus, additâ ratione, quod error virginitatis non sit nudæ qualitatis, sed potius illud implicans, quod ad ipsam substantiam conjugii pertinet, aut saltem ad qualitatem intrinsecam, adeoque naturalem, & de Virgine tacitè semper subintellectam. Idque nullum habet dubium, si illatum fuerit vitium *post sponsalia jam contracta*, nemo enim dubitat, quin tum divortio locus concedatur, eò quod in sponsa quoque adulterium committatur, & ne spes quidem matrimonii violari debeat *l. 13. §. 3. ad L. Jul. de adult. l. 15. §. 24. de injur.* Idem tamen obtinere, si vitium sponsalia præcessit, uno fere ore Dd. asserunt, itaque in Consistoriis Ecclesiasticis pronunciari testantur, uti notabilia præjudicia refert Henelius ab Hennefeld *tract. de jur. dotal. cap. 10. theor. 14. lit. EE.* eo effectu, ut si nec sponte nec affectatâ ignorantâ supinâve & crassâ negligentia deceptus maritus, nec postquam stupri compertam habuit, amplius cum ea rem habuit, nec inter partes transactio, sive reconciliatio, omnibus modis prius tenenda, obtineri valeat, non tantum separatio sponso aut viro

viro concedenda, sed & sponsa aut uxor sponso marito-
 ve omne damnum, quod ejusmodi deceptione incur-
 rit, resarcire teneatur, donationem insuper propter nu-
 ptias & dotalitium perdat, & sponso vel marito aliud
 matrimonium contrahere permittendum sit, uti verbis
 hisce notabilibus sententiam suam expresserunt, & infi-
 nitis autoritatibus atque rationibus muniverunt Hene-
 lius *dict. loc.* Hieronymus Bruckner *in Decis. jur. matrim.*
cap. 20. num. 3. Extendunt autem Interpretes hanc as-
 sertionem, ut etiam locum inveniatur, ob stuprum *violenti-*
um, tam ante, quam post sponsalia de futuro vel de præ-
 senti perpeßum, quia tale quid in sponsam sit commissum,
 à quo sponso honestus abhorreat, & in omnibus con-
 ventionibus subintelligatur conditio, *si res in eodem sta-*
tupermanserit, Bruckner *dict. loc. num. 12.* Excipien-
 dum tamen esse casum putat Brückner *d. l. n. 29.* quando
 virginitatis status jam diu ante sponsalia fuit corruptus,
 & facta dudum consummatione, facti & corruptionis
 qualitas in notitiam mariti devenit, non esse enim eo ca-
 su divortium concedendum, tum quod nemo delicta ju-
 ventutis & propriam turpitudinem revelare cogatur,
 tum quod sibi imputare debeat, qui non exactius & di-
 ligentius in conditionem talis personæ primitus inquisi-
 vit. Ast verò quò minus huic sententiæ ex asse fidamus,
 eâ movemur ratione, quod sæpius mariti & sponsi dili-
 gentissimâ habita investigatione, tamen corruptiones
 plerumque clam fieri solitas, explorare non possint, ac
 proinde sive minima quidem fama, hanc corruptionem
 præcessit, ac proinde sponso, quantum in se fuit, sat cau-
 G relax

telæ adhibuit, durum sit, si veritate corruptionis postmodum in apertum producta, cum magno suo dedecore, pudore, quin & offendiculo conscientia vitiatam retinere cogatur.

§. XVI.

Limitatur (9.) quando quis per epistolam sibi aliquam desponsare præsumat, additâ conditione, ut *sicam in conspectum acceptam, minus gratam, & formosam deprehenderit, velit repudiare & dimittere.* Quod si enim paulò post contingat, eum, qui literas misit, puellam vidisse, ejus verò formam in controversiam non vocet, sed prærendat, ipsum facti poenituisse, etiam antequam illam vidisset, tum hæc mutatio haud quaquam ferenda, cum viro bono haud conveniat, & magnum præse ferat levitatis indicium. Cypræus *de Spons. cap. 9. §. 22. num. 9.* Accedit, quod epistola semper contra scribentem probet. *l. 26. §. ult. de pos. l. 2. X. de fide instr.* quando per scribentem fuit confessata & agnita, Berlich. *part. 1. concl. 36. n. 50.* Mascard. *de probat. concl. 627. n. 1.* Et cum sponsalia etiam per epistolam contrahi possentradat Ulpianus in *l. ult. de sponsal. l. s. de rit. nupt.* Cardinal Tusch, *pract. concl. lit. C. concl. 985. n. 2. & 7.* Cypræus *dict. loc. §. 23.* nihil verò in persona, ad quam hæc missa, desideratum fuerit, certè ea maximo ludibrio haberetur, & natura matrimonii eluderetur, si licentiosa hæc & indecora voluntatis mutatio permetteretur. Cypræus *dict. §. 22. n. 1.*

§. XVII.

§. XVII.

Limitatur potissima *secundum* (10) quando turpi vel impossibili conditione adjecta, consensus conjugalis vel utriusque contrahentis parte deficit, tum enim conditio pro non adjecta nullatenus habetur, sed potius matrimonium est ipso jure nullum, in tantum ut non solum in foro animæ, verum etiam judiciali pro tali judicetur, idque judicem ex circumstantiis colligere posse comprobant, veluti si contrahens credebat conditionem naturam esse possibilem. Exemplum ponitur in casu, quo quis sub hac conditione contraxit, *si possibile sit stellam aliquam liquefcere & in terram cadere* Gavarruv. de matrim. tom. 1. part. 2. cap. 3. §. 2. n. 4. & s. Kizel de matrim. cap. 7. theorem. 13. in. fin. Atque hoc schediasmate notabilis hujus constitutionis analysin adornasse sufficiat.

Tributâ Deo Immortali Gloria.




Limitum potius secundum (to) dundo tunc vel
 impossibili conditione adjecta, conclusio conjunctiva vel
 contrariae contrahens parte desit, tunc enim condi-
 tio pro non adjecta nullatenus habetur, sed potius ma-
 gis in se non nullum, in tantum ut non solum
 in foro animi, verum etiam iudiciali pro tali iudicium
 idque iudicium ex circumstantiis colligere posse conpro-
 bant, veluti si contrahens crederet conditionem naturam
 esse possibilem. Exemplum ponitur in casu, quo quis
 sub hac conditione contraxit, si possidet in hanc ali-
 quam partem, etc. Et in tantum dicitur, tunc ut de iure
 non tam. 1. part. 2. cap. 5. §. 2. n. 4. C. 1. Kinc. de matrim.
 cap. 7. theoriam. 13. in fin. Aque hac sebedistinctio no-
 tabilis huius conditionis analytici adnotasse
 iudicium

Tribun. Deo. Immortalis Gloria.








Griffen, Diss., 1706-07

ULB Halle

005 356 776

3





B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

4
E. 22. num. 19.

SYNOPTICA COMMENTATIO
DE

15
1707, 6

DES P O N S A - T I O N E C O N D I T I O N A T A

ad
Cap. Final. X. de Condit. Appos.

LOCO INAUGURALIS DISPUTATIONIS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

P. 389
DNO. LVDOVICO,
HASSIACI LANDGRAVIATUS HEREDE,
PRINCIPE HERSFELDÆ, COMITE IN CATTIMELIBOCO,
DECIA, ZIEGENHAINA, NIDDA, SCHAUMBURGO,
YSENBURGO ET BUDINGA &c. &c.

EX AUTHORITY AC DECRETO
MAGNIFICÆ, PRÆNOBILISSIMÆ ET CELEBERRIMÆ

FACULTATIS JURIDICÆ

IN FLORENTISSIMA ACADEMIA HASSO-GISSENA,

PRO SUPREMIS IN UTROq; JURE HO-
NORIBUS, IMMUNITATIBUS atq; PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PROCERVM ACADEMICORVM CENSVRÆ

SUBJICIT



JOHANNES ADAMUS Sinnemann
LIPSTADIENSIS.

Die 27. April. 1707. loco & horis consuectis.

GISSÆ-HASSORVM, Excud. JOH. REINHARD. VOLPPIVS, Acad. Typ.